19v

In precedenti capitulo audivimus de Christi circumcisione
Consequenter audiamus de magorum oblatione
Eodem die cum Christus in iudea esset natus
Ortus eius tribus magis in oriente est nunciatus
Viderunt namque stellam novam in qua puer apparebat
Super cuius caput crux aurea splendebat
Audieruntque vocem quandam dicentem sibi
Ite in iudeam et novum regem natum invenietis ibi
Tres igitur isti festinanter in iudeam pergebant
Et regi celi nato sua munera offerebant
Hy tres magi per tres robustos prefigurati fuerunt
Qui regi David aquam de cysterna bethleem attulerunt
Istorum robustorum virtus et audacia multum commendatur
Sic magorum adventus et oblacio valde approbatur
Tres robusti exercitum inimicorum non timuerunt
Sed viriliter castra eorum transeuntes aquam hauserunt
Sic tres magi potenciam herodis regis non formidaverunt
Sed audacter iudeam intrantes de novo rege interrogaverunt
Caspar balthasar melchior nomina sunt magorum
Abysai sobokai bonajas nomina robustorum
Tres robusti perrexerunt bethlehem pro aqua cysterne
Tres magi venerunt bethleem pro aqua gratie eterne
Tres robusti hauserunt aquam de cysterna terrestri
Tres magi susceperunt aquam gratie de pincerna celesti
Figurabat ergo illa bethlehemitica cysterna
Quod in bethlehem nasciturus esset celestis pincerna
Qui propinaret aquam gratie omni sicienti
Et daret aquam vite gratis precium non habenti
David rex aquam allatam deo pro graciarum actione offerebat
Gaudens et exultans quod tam robustos viros habebat
Cristus autem rex celi et terre gaudebat et exultabat
Quia adventus magorum conversionem gentium prefigurabat
David rex videtur sitisse non aquam sed suorum virtutem
Christus autem perhibetur sitisse nostram conversionem et salutem
Tres robusti bethlehem brevi hora prexerunt
Tres magi de oriente brevi tempore bethlehem pervenerunt
Si queritur quomodo tantum spacium tam cito potuerint transmeare
Dicendum est quod Christo nato non erat impossibile hoc dare
Qui enim duxit abbakuk subito de iudea in babilonem
Cito perducere potuit magos de oriente in iudeorum regionem
Venientes igitur magi bethlehem coram puero procide — bant
Aurum thus et mirram ei offerebant
Figura huius novi regis et huius oblacionis
Premonstrata fuit olim in regno regis salomonis
Salomon rex licet puer esset tamen sapientissimus fuit
Deus puer tamen non ~~minimus~~ sapiens quam annosus extitit — minus
Salomon rex residebat in throno de ebore mundissimo
Qui vestitus erat auro optimo et purissimo
Cuncti reges terre regem salomonem videre desiderabant
Et ei munera preciosissima et rarissima portabant

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0038
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt